



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

XXVII. Markgraf Hermann schenkt dem Kloster Arendsee Besitzungen in Dessau und Heiligenfelde, am 24. Januar 1297.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

XXVII. Markgraf Hermann schenkt dem Kloster Arendsee Besitzungen in Dessau und Heiligenfelde, am 24. Januar 1297.

Hermannus, dei gracia Brandenburgensis Marchio, omnibus presentem litteram inspecturis seu auditoris Salutem in omnium saluatore. Que geruntur in tempore ne simul recedant cum tempore, Expediit propter obliuionem hominum scripturarum testimonio perhennari. Hinc est, quod notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod nos proprio motu ac in remedium anime nostre, necnon in saluacionem progenitorum nostrorum pie memorie, dedimus et donamus cenobio ac conuentui in Arnse proprietatem duorum mansorum in Deffow, quos Conradus de Gladegow a nobis iusto pheodo possedit. Damus eciam eidem ecclesie ac Conuentui proprietatem quinque mansorum in hilghenuelde perpetualiter possidendam, quos Dominus Loneke noster fidelis a nobis habuit Jure pheodali. Et ne ex hoc aliquod possit oriri dubium, presentem litteram nostri Sigilli munimine fecimus communiri. Datum Arneborg, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XC<sup>o</sup>. VII<sup>o</sup>., In die thimothei Apostoli. Presentibus testibus infrascriptis Domino Bodone de Walltoue, Domino Cruccemanno, Domino Conrado Scriptore et aliis multis fide dignis.

XXVIII. Der Conuent des Klosters Arendsee bekundet eine Zuwendung, die ihm von einem Malchiner Bürger zu Werckenthin gemacht ist, am 9. Mai 1298.

Vniuersis Cristi fidelibus presenciam visuris uel auditoris Ludolfus prepositus, konegundis priorissa Totusque conuentus Sanctimonialium in Arnse cum deuotis oracionibus veram in domino karitatem. Ne ea, que geruntur in tempore, lapsu temporis a memoria hominum euanescent, expedit eadem scriptura uel lingua testium roborari. Nouerint igitur presentes et posteri, quod Guntherus, ciuis in malchin, nostro conuentui in Arnse prenominato duos mansos nostre ville Warghentim adiacentes, quos ab eodem in pheodo tenuit, in elemofinam et anime sue remedium cum omnibus prouentibus eorundem in proprium assignauit, tali condicione, vt eorundem mansorum prouentibus idem Guntherus vite sue pociatur temporibus, et vbicunq; locorum moratus fuerit, sibi octo tremodia annone, scilicet quatuor siliginis et quatuor ordei annis singulis et tempore debito, quamdiu vixerit, persoluamus. Sed postquam memoratus Guntherus viam carnis migrauerit vniuerse, ad nostrum Conuentum prefati mansi cum vniuersitate, sicut est prehabitu, deuoluuntur. Verumptamen ob huius donacionis remuneracionem, cum primo fuerit nobis eiusdem obitus nunciatus, confestim sui memoriam in tricesimo et deinceps diem anniuersarii sui anno quocunq; reuoluto salubriter peragemus. Preterea extunc in qualibet ebdomada duas missas pro defunctis, vnam feria quarta, alteram die sabbati, anime sue infra nostrum conuentum procurabimus perpetuo celebrari. Ceterum de premissorum mansorum prouentibus vnam marcam denariorum ecclesie in Warghentim ad luminare Beate katherine ibidem patrone debemus annis singulis constituere persoluendam. Ne igitur hominum posteritas vacillet in posterum de premisis, consules ciuitatis malechin,